



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvací, 1625

De exitu ad laborem. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

corde agere. Vita angelica est, chorum cum deuotione & reue-
rentia frequētare. Nam ibi plures deuoti visiones angelicas ha-
buerunt, s̄epius in spiritu rapti sunt, frequenter illuminati, dulci-
ter consolati, & fortiter accensi sunt.

C A P V T VIII.

De custodia cella.

1. **F** In ipsis primis vel tertiijs, studeas te continere à verbis multis
& circuitiōibus; sed quanto celerius potes, cellam pete, &
aliquid boni exercitij propone, quod tibi per totam diem deser-
uiat. Statue firmiter, quod hodie velis te custodire in omnibus
moribus & sensibus tuis: Habere scilicet pudicos oculos, non cu-
riosos, pauca & utilia verba, gressum maturum & incessum hu-
milem; & in omnibus motibus & statu nihil agere aut prætende-
re, quod cuiusquam offendat aspectum. Vbicunque necesse fue-
rit te esse, omnibus priuatis prætermissis, studeas tempestiuè ve-
nire. Nec assuescas malum vsum, posterior s̄epius veniendo.

2. Nihil æstima, quod facis, si non prius feceris, quod debes. E-
sto igitur vbicumque cum primis alacer, & paratus in omni loco
& tempore ad hoc deputatis. Communia semper præpone pro-
prijs & priuatis. Alterius, potius quam propriam studeas facere
voluntatem, & eris omnibus dilectus, tam Deo quam fratribus.
Pauca verba & humile responsum habeat os tuum. Melius est ta-
cere, quam imprudenter loqui. Libenter sis in cella: si non potes,
custodi os tuum.

C A P V T IX.

De exitu ad laborem.

1. **A** Ntequam excas, & postquam intraueris cellam, breuem
habeas orationem. Noli cor tuum effundere ad exteriora,
sed disce manibus operari & corde orare. Nemo statim perfectus
est, nec vna die acquiritur virtus & deuotio ista; sed quotidiano
exercitio & diligenti proposito, efficitur homo denotus & inter-
nus.

C A P V T X.

De obedientia, & humili response.

1. **Q** uod tibi semel inhibetur, sic studeas dimittere, ut nō sit o-
pus secundò. Quod tibi pro bono dicitur, pro bono accipe,
& eris semper inde melior. Non queras excusationem in defe-
ctibus, sed humiliationem cum emendatione. Si vis semper lu-
crari & amari, humilia te, & tace sustinens. Virtutes semper læti-
fiant, passiones mœstitiam generant. Sacram scripturam dilige,
libenter

Propositū
quilibet
die reno-
uandum.